

Georg Radow

Rector Universitatis Rostochiensis Georgius Radovius, I.U.D. Prof. Publ. ... Ad deductionem luctuosi Funeris ... Virginis Margaretæ Smidiae, Quam Afflictissimi istius hodie adornabunt Parentes, amplissima cohonestandam frequentia, Cives Academicos omnium Ordinum ... hortatur

Rostochii: Keilenbergius, 1681

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774758074>


Druck Freier  Zugang



Radov, G.,
in
M. Smid.

Rost. 1681.

*LB FP Schmidt, Margaretha 1681
16*



GEORGIUS RADOVICIUS

MARGARETÆ

SMIDÆ

Quam Adhuc vivam istius

amicis mortuam CASSENTIS

CIVIS ACADEMICIS omniumque


amicis honorandam hunc

epitaphium

ROSTOCKI

Ab E. Petro

1717



RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
GEORGIUS RADOVIUS,



J. U. D. Prof. Publ.

Facultatis suæ Senior.

Ad deductionem luctuosi Funeris

ISSIMÆ VIRTUOSISSIMÆQUE VIRGINIS

MARGARETÆ
SMIDIÆ,

Quam Afflictissimi istius

hodiè adornabunt PARENTES,

amplissimâ cohonestandam frequentiâ,

CIVES ACADEMICOS omnium Or-
dinum honoratissimos humanissimè
diligenterque hortatur.



ROSTOCHII,

Typis VIDUÆ B. FRIDERICI KEILENBERGII,

Universit. Typogr. Anno 1681,

96.



Aduca utiqve est fugacis

mortalium vitæ possessio, quæ vel levissimo violentiæ afflatu concussa pavitat, diffluit, dilabitur, evanescit. Stat illa in hoc solum firma, quod nunquam stet, semper infirma, in hoc immobilis, quod moveatur semper, in hoc manet, quod usq; fluat, citatissimè ruat, & citò finiat. Nec Luna nobis tot facies ostendit, neq; Proteus in tot se convertibat formas, nec Chamæleon tot permutat colores, quot sunt quotidianæ ac penè repentinæ istius mutationes. Pyraustæ gaudium in proverbium abiit de fluxu & momentaneo: Mortalis pariter dum præter propter vitam agit, mox in istius irruit finem. Quid aliud ea, nisi calamitatis est tabula? & cui in eâ unquam tam exactæ felicitatis gaudia contingere, ut nihil ei fuerit quod gemeret. Fugiunt voluptates, & uti bonæ cujusq; rei, sic & vitæ ipsius tam brevis est usus, quam levis sensus. Non unâ vice curis, mœrore, luctu obfuscatur animus, non semel damnis, calamitatibus, ærumnis inhorrescit vita, anteqvam letali involvatur peplo. Quid βία, nisi βία vis & molestia? quid σῶμα, nisi σῆμα sepulcrū? quid γένεσις, nisi εἰς τὴν γῆν ὄσις, in terram dejectio? quam fragiles spes nostræ? quam inania sunt nostra vota, quæ in medio spatio sæpè franguntur, corruunt, & ante in ipso obruuntur cursu. Dum maximè agunt homines, animam agunt, ceu venti cum vehementissimè flant, vim suam efflant. Torrens est, profluxio humanæ mortalitatis; Etenim ceu ille pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit & currendo decurrit, seu cursum finit: Sic omnis iste est caducitatis cursus. Nascuntur homines, vivunt, moriuntur, & aliis morientibus alii subnascuntur. Quid hic tenetur? quid non decurrit, quid non quasi de pluvia lubrica

col.

collectum it in mare mortis, it in abyssum. Decurrunt
siquidem homines, & humana cuncta ceu aquæ dilabuntur
super terram. Infida est fiducia in tam veloci tamq; brevi
vitâ, quæ tota fugacissimo unius diei cursu mensuratur. Ve-
lut namq; dies ab algidâ inchoans aurorâ, paulatim per ho-
ras & momenta ad intensum meridiei fervorem, & abinde
in gelidam noctem progreditur: Non aliter homo ab in-
fanzia incipiens, gradatim per pueritiam, per adolescentiâ,
juventutemq;, quasi per totidem horas, ad vividum & no-
bile virilitatis robur provehitur, subinde in senectam &
decrepitudinē, in tenebrosam deniq; mortis noctem, sen-
sim ac sine strepitu relapsurus.

*Si quid dolendum, cuiq; prima quæ fuit
Dolenda lux est; illa nos fato stitit,
Memoresq; iussit esse lucis ultima
Non prævidenda, quicquid adolescentibus
Accedit annis, rursus hoc vitæ perit,
Horæ diesq; mensis & menses cadunt,
Nunquam resurgunt.*

Fallax & instabilis est nostra omnium vita, instar rapidissimi
fluminis, instar amentati jaculi; quodq; sicut sagitta è ma-
nu potentis: ita communi cunctis naturæ lege ad mortem
undiq; decurrat & excutiatur memores simus. Proditum
est memoriæ, volucrem ad Hypanim esse Hemerobion di-
ctam, quæ non ultra diem vivat, sed eadem omnino luce,
quâ lucem inchoet, finiat, morientiq; commoriatur soli,
eodem die pueri, juvenis, senis ætatem experta, manè na-
scens, meridie vigens, vesperi consenescens. Volucerrima
vitæ fragilis brevitatis, ad flumen perpetuo labentis temporis,
nostræ nos commonet labilis fugacissimæq; sortis, insimul
subinnuens, quod commorandi nobis, non habitandi, di-
versorium suppeditet natura, & vitæ indulgeat usuram ceu
pecuniæ nullâ præstitutâ die. Paries est ruinosus hæc vita,
quo

quo die, quâ hora, quâ horæ parte sit collapsurus, abs nẽmine
scitur certò, quantumvis sit certissimum, non usq; adeò diu
perstiturum malè materiatum opus. Nihil hic est solidi,
nihil firmi, cui innitatur mens, non plusquam inclinato
parieti, aut maceriæ depulsæ, non plusquam ricino jonæ,
frondosæ quidem arbusculæ, sed mox arenti, non plusquam
fœno vernanti & flori deciduo. Pausias pictor arti daturus
famam celeritatis, absolvit uno die tabellam, quæ inde
Hemeresios vocitata. Vere homo tabella talis, in quâ non
tam affectata, quàm nativa celeritatis gloria; delineatâ
quippe nostrâ vitâ manus amovetur de tabula, oppansaquẽ
prius ludentis fugacitatis cortina diripitur. Vix ad exitum
est perducta humani corporis fabrica, cum vitium facere,
& ruinam minari quin certissimè ruitura dicitur. Pariuntur
mortales cum dolore ad dolores, eduntur cum gemitu ad
gemitus, in ipso ortu jam occasum nunciantes per lamenta,
verè imbecillitatis exempla, verè spolia temporis, ludi for-
tunæ, mancipia laborum, miseriarum gymnasia, versatilia
sepulcra, fragilia simulacra, qui ceu quodlibet quassum vas,
& quodlibet fragile, jactatu, non tempestate magnâ, ut dissi-
pentur, opus habent, ubicumque arietaveris, solvuntur.
Nota sunt sublimium poëtarum oracula, quibus umbræ
fumi, & somnio umbræ nos similes adfirmant, ceu quorum
conditio umbræ simulacro exactè exprimitur. Nam & illa
fumi instar & nebulosi aëris præcipiti fugâ evanescit, & ut
ita dicere liceat, nascendo moritur: quovis enim levi motu
aut corporis opaci flexu dissipatur & penitus perit: quæ qui-
dem omnia infirmitatem nostram, rerum humanarum,
fluxum, & ancipites casus, atq; adeò conditionem nostram
incertam, anxiam, & subinde variantis fortunæ ambagibus
subjectam ostentant. Hæc sunt quibus gloriamur mortales,
digna profectò, in quibus supercilium tollamus altius,
quibus spes nostras & improba vota, superbi & confidentiâ

tu.

tumidi suspendamus. Omnis dies, omnis hora, quam nihil
simus, ostendit, & aliquo argumento recenti admonet fra-
gilitatis oblitos, cum aeterna cogitantes respicere cogit ad
mortem. Experta est evanidum hunc mortalis vitæ vivæq;
mortalitatis nexum, virgineo nitescere visâ mundo, & lon-
giori digna ævo Venustissima & harmonica virtuosi con-
centus suavitate commendatissima Virgo MARGARETHA
SMIDIA, cui, siquidem diutius floridioris status incrementū
benignior indulisset ætheris aura, longiori sereno paternos
licuisset exhilarasse penates, orbamq; nunc dolor ! satius
contigisset delectasse familiam. Ceterum meliori ea ser-
vabatur orbi, meliori flammâ digna, nitidioriq; paraba-
tur thalamo, ducenda ad nuptias sanctissimi sponsi, innocui
Agni, in istius salvificis aeternum hæsuræ amplexibus, &
hunc ipsum purissimum agnum cum ceteris immortalitatis
candidatis, & præcipuè egregiissimo tripudiantium in celis
Virginum choro beatissimis profectura præconiis. Na-
tales verò ipsius celebres, vitamq; honestissimè actam, quin
ipsum licet inopinum, placidissimum tamen discessum, cum
brevis quodam compendio paterna delineavit manus, non
incongruum arbitramur fore, si id ipsum benivolæ lecto-
rum exponamus animadversioni. Erat secundus supra
sexagesimum hujus seculi annus, inque orbem redierat vi-
gesima secunda lux Augusti, cum mortalitatem indueret,
sævisque sacrorum cerimoniis initiaretur, quam nunc
feliciter exiit, prima tunc è gemellis, parentibus profata
clarissimis, patre quidem Viro Nobilissimo ac Consultis-
simo Domino THOMA **Schmiden**, J. U. D. & Ducalis
Consistorii Advocato Amplissimo; Matre autem, Nobilif-
sima & Virtutibus præstantissimâ Feminâ BARBARA **Süll-
biers**. Avo gavisa paterno Viro spectatissimo Thoma
Schmiden Cive quondam hujus urbis primario. Aviaq;
paterna Feminarum eximiâ ac ornatissimâ Margaretha
von

von Thienen. Maternum agnoscit Avum Virum Cla-
rissimum & Doctissimum Dn. Joachimum **Süllbier** Phil.
M. & Literatorum Fautorem plane eximum. Aviamq; Ma-
ternam Laudatissimam pietate & virtutibus matronam
Dorotheam **Wegeners**. Ad rationem solertis educati-
onis composita, & mores imitata maternos, talem se stitit,
qvalem exoptasse amantissimi poterant parentes, Numinis
videlicet reverentem, probe moratam, & familiari assvetissi-
mam sollicitudini, eorundem uti jussa obsequentissimè ca-
pessentem, ita & horum voluntati nutuiqve promptissimè
velificantem. Invasit verò eam secunda redux vice paroxy-
smus qvidam gravior febristertiana, lentula sub finem ipsi
concilians suspiria, qvibus cū ipsam simul svavissimam ex-
pirare cogeretur animam, tam acceleratis qvidem dolor!
obruta fatis, uti nec accersiti Experimentissimi Dni Medentes
Viri Nobilissimi & Excellentissimi D. Johannes Bacmei-
sterus Math. super. Prof. Publ. celeberrimus, & D. Bern-
hardus Barnstorffius Collega, Amici & compatres nostri
honoratissimi vel qvicqvam contraiturum imbecillitati
adordinare, multo minus agonizanti jam exhibere qvive-
rint: unde circa primam pomeridianam præteriti noviter
diei 21. Februar. placidè spiritum exhalavit ad celestia emi-
grans gaudia, expletis in hoc caduco orbe octo & decem
annis, aliqvot insuper mensibus. Huc huc adeste, TRISTIS-
SIMI PARENTES, heu qvomodo obnubilati! qvam lu-
gubriter qveruli! Jacet illa deliciosa vestra, amabilis, dul-
cissima filia. Libate osculum, sed supremum! claudite
oculos, sed atros & obscuros, amplectimini charissimam,
sed exanguem, rigidam, frigidam! qvid fletu diutino
vos cruciabit? qvid spiritum vestrum mœrore marcen-
tem crebris ejulatibus fatigabit? qvos continuos mœsto
iterabit pectore planctus. Non leviter vestra corda gra-
vissimum hoc sauciâsse malum qvis temerè dubitet? Incen-
dit

dit desideratissima **FUNCTÆ** memoria vestram vehemen-
tissimè mentem, vestrisq; tanquam silex impacta visceri-
bus, non unâ exarsit vice in flammam, & acerbiorē pepe-
rit doloris sensum, non in illuvie atratæ hærentem vestis,
sed intimiori in afflictissimæ mentis contubernio fixum,
qvo exspem vestram orbitatem penitus consideratis. Si-
quidem cujus vos vita ob amiciora solatia, & blandiora sub-
sidia delectabat, unde fieri possit, ut amarior istius discessus
nullam vobis ingerat mœstitudinem? qvo pacto futurum
est, ut ejus vobis acerba non sit mors, cujus dulcis exitit
vita, desiderabilis convictus: neqve enim minimum
refert, desiderare qvod habueritis, & lugere qvod amise-
ritis. Verum cessabunt lacrimæ vestræ, cum aliquid fidos
inter & perfidos debeat interesse. Foveant suos, qvi eos in
perpetuum æstimant interiisse: Nobis verò, qvibus mori
non naturæ, sed vitæ hujus finis est, qvia ipsa natura in-
melius reparatur, mortis casus abstergat omnes fletus, &
luctum temperet spes futuri seculi, immortalitate plena,
non protrita in pulvere, non emortua cum cadavere:
Vitam hanc peregrinationem esse, philosophi qvoqve
prodiderunt: Fortunata illa, cui itineris obtigit compen-
dium: est & ipsi quietis pars, ad quietem citius fuisse trans-
latam; cum & qvi navigant, acri malint flatu in portum
devehi, qvam segnibus ventis diu ludi, aut lentissimo
tranqvillitatis tœdio lassari. Qvis scit, cui dilectissimam
vestram malo parens ille providus subduxerit: Nihil tam
naturæ convenit, qvam mali sine gaudere. Parcite dolori
irrito, qvi vos mortuæ adjicere potest, reducere vobis il-
lam neqvit: Merebimini ceteroqvi premi dolore, si non
istum presseritis. Manet memoria, magnum grati animi
oblectamentum! apponite potius lucro, qvod habueritis
probam, morigeram, reiqve familiaris studiosissimam fi-
liam, qvam damno, qvod perdideritis. Præteriti boni
fru-

fructus in tuto est : hoc nec auferri, nec desinere unquam potest, solumque est extra invidiam fati. Melior ipsius pars, divinæ mentis portio, ab alterâ intermoriēte divulsa, felicius jam incipit vivere, id indepta sublimius tabernaculum, ubi quicquid desiderat animus, dat aspectus, ubi omnia desideria in centro totius amoris centroque omnium desideriorum Triuno Numine complebuntur. Non ibi decor istius ætate senescet, non tempore deflorescet, rugositate non flaccescet, nec æstimatione unquam vilescet, sed semper vividus & vernans virginitatis illibata splendor florebit, semper recens, semper sui similis perennaturus, & simili cum purissimis celitum mentibus forte gloriaturus. Accedat vos pronus ille misericordiarum, promus, & flammam vividi doloris commiserationis suæ fontibus ex alto irroret, stillantia ex oculis moestitiæ fluenta restingvat, planctumque vertat in gaudium.

Sed cum tenerrima BEATISSIMÆ fragmina in urnam hodiè sint deferenda suam, ut frequentissimæ Virgineo Funeri cantur exequiæ, abs vobis, Honoratissimi omnium ordinum CIVES ACADEMICI, studiosissime & affabiliter expetimus.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus,

d. XXVIII. Febr. A.S.P. CI9 IC LXXXI.


*Convenietur in Æde Marianâ
hora I. Pom.*

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



tumidi suspendamus. Omnis dies, omnis
simus, ostendit, & aliquo argumento recen-
gilitatis oblitos, cum æterna cogitantes re-
mortem. Expertæ est evanidum hunc mor-
mortalitatis nexum, virgineo nitescere vifa
giori digna ævo Venustissima & harmonic
centus svavitate commendatissima Virgo M
SMIDIA, cui, siquidem diutius floridioris sta-
benignior indulisset ætheris aura, longiori
licuisset exhilarasse penates, orbamq; nunc
contigisset delectasse familiam. Ceterum
vabatur orbi, meliori flammâ digna, niti-
tur thalamo, ducenda ad nuptias sanctissimi
Agni, in istius salvificis æternum hæsuræ
hunc ipsum purissimum agnum cum ceteri
candidatis, & præcipuè egregiissimo tripudi-
Virginum choro beatissimis profecutura p
tales verò ipsius celebres, vitamq; honestissi-
ipsum licet inopinum, placidissimum tamen
brevis quodam compendio paterna delineat
incongruum arbitrabimur fore, si id ipsum
rum exponamus animadversioni. Erat s
sexagesimum hujus seculi annus, inqve or-
gesima secunda lux Augusti, cum mortali
svetisque sacrorum ceremoniis initiaretu
feliciter exiit, prima tunc è gemellis, pa-
clarissimis, patre quidem Viro Nobilissim
simo Domino THOMA **Schmiden**, J.
Consistorii Advocato Amplissimo; Matre
sima & Virtutibus præstantissimâ Feminâ B
biers. Avo gavisâ paterno Viro specta
Schmiden Cive quondam hujus urbis pr
paterna Feminarum eximiâ ac ornatissimâ



ihil
fra-
t ad
aq;
on-
on-
HA
ntū
nos
tius
ser-
ba-
cui
, &
atis
elis
Na-
vin
um
non
cto-
ra,
t vi-
ret,
unc
fata
ltif-
calis
ilif-
ull-
oma
iaq;
etha
don